

# REVUE ECCLÉSIASTIQUE

RECUEIL DE DOCUMENTS

POUR LE CLERGÉ

Vol. I

15 FEVRIER 1897

No 7

VIVAT CHRISTUS QUI DILIGIT FRANCOS.

OB MEMORIAM AVSPICATISSIMI EVENTVS QVVM FRANCORVM NATIO  
PRÆEVNTE CLODOVEO REGE SE CHRISTO ADDIXIT.

## ODE

Gentium custos Deus est. Repente  
Sternit insignes humilesque promit :  
Exitus rerum tenet atque nutu  
Temperat æquo.

Teutonum pressus Clodoveus armis,  
Ut suos vidit trepidos pericli,  
Fertur has voces iterasse, ad astra  
Lumina tendens :

Dive, quem supplex mea sæpe coniu  
Nuncupat Iesum, mibi dexter adsis ;  
Si iuves promptus validusque, totum  
Me tibi dedam.

Illico excussus pavor : acriores  
Excitat virtus animos ; resurgit  
Francus in pugnam ; ruit, et cruentos  
Disiicit hostes.